Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.
Wien, 1802 Seite 1861
Quelle:
Copyright:

Anno Domini M°. CCC. XCVII. obit frater Marcoldus Prior ordinis cruciferorum feria sexta post penthecosten.
— — — CCCC. I. *obit frater Hensso de Zwereticz prior Die sancte Agathe virg.*
— — — — V. *obit Procopius Marchio Die ludmille passionis eius.*
— — — — XI. *obit Jodocus Marchio Die prisce virginis.*
— — — — XIX. *obit Rex Wenczeslaus feria quarta post assumptionem beate virginis. Huius temporis orti sunt Hussite in Boemia.*

Ad compingendum Codicem utrinque servit Membrana charactere grandi et nitido hebraico non punctato exhibens maximam partem *Capp.* XXV. et XXVI. *Geneseos.*

DCCLXXIV.

R. 3120 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 218. 4. charactere crassiusculo exaratus, rubro distinctus et olim *monasterij sancte Dorothee virg. in Wienna* est *Quadragesimale,* cujus hoc est initium: *Filia populi mei induere cylicio et conspergere cinere. luctum vnigeniti fac tibi. planctum amarum. Jer. VI. Quamuis solempnitas quadragesimalis in sequenti dominica inchoetur. ecclesia tamen hos quatuor dies precedentes addidit. ut quadragenarius numerus impleatur. A prima enim dominica usque ad pascha XLII. dies computantur. de quibus VI. dies dominicales subtrahuntur. solummodo XXXVI. dies ieiunantur* &c. Diebus singulis adsignati sunt Sermones bini. Quadragesimalibus succedunt Paschales quidam et Dominicales usque ad Dominicam infra Octav. Ascensionis, tum unus in Aduentu, IV. ad Religiosos, et postremus de S. *Antonio Patavino.* Ad calcem ante Indicem alphabeticum Rerum minio legitur: *Explicit opus quadragesimale fratris Michaelis finitum per manus Nycolai de Mutha. et completum. Anno domini M°.CCC°. XXXIIII°. In die* —. Reliqua solicite derasa; per ea vero, quae scripta retuli, linea nigra ducta est. Nescio, dicebam mihi, an isthaec non aliquid portendant. Si chronologiae rationem habeas, e notis Sermocinatoribus, qui *Michaelis* nomine gavisi sunt, nemo in quaestionem venire potest praeter F. *Michaelem de Massa* O. Erem. S. *Aug. Parisiis* defunctum a. 1336. et F. *Michaelem de Caesena* O. S. *Franc.* Ministrum Gen. quem a. 1343. *Monachii* mors abstulit. Utrique tribuuntur *Sermones* a Literatoribus. Cur vero in posteriorem quis inclinet, illud est: nota sunt in eum *Ludovico Bav.* Imp. adhaerentem *Johannis* XXII. fulmina. Quid si Rubrica partim derasa, partim linea nigra perfossa signum sit reprobationis illius, tanquam